

missione, verbo; in tota versiculi decora lectione. Ex tota versiculi musica pronuntiatione rationes de omni accentuum positu redduntur. Si nunc quæras, qualis illa pronuntiatio, quæ omnem difficultatem tollit, ille non respondebit: modo tardior, modo celerior pronuntiatio, uti absone respondes; sed ille respondebit, quod antiqua illa & ecclesiastica Musica, quæ vocem modo elevavit, modo submisit, modo voces decore conjunxit, hæc omnium difficultatum rationem reddit. Si vero quæras: quæ ratio celerioris & tardioris pronuntiationis sit? ille neque ad vocum paucitatem vel brevitatem, neque ad affectuum latentium diversitatem provocabit, sed potius ad majores vel minores accentus, qui immediate celeriores & tardiores pronuntiationem indicant, appellabit. Ex quo ad oculos patet, quod vel ex malitia, vel ex summa stupiditate mentem non perceperit. Cædunt ergo omnia, quæ §. 12. contra sententiam garrunt, quam non percepit; evidenter enim patet sensum, quem Cl. Viro tribuis, toto cælo distare ab eo, quem ipsa verba & tota dissertatio intendit.

§. X.

Audiamus porro, quæ deliramenta loquatur §. 13. *Sed scire pervelim, quid hic Dn. opponentis usus pronuntiativus præ usu distinctivo lucretur: Nam non de omnibus Accentibus ratio hujus vel illius Distinctionis reddi potest. Calonymus quidem circa finem libri sui queritur & fatetur, se non posse reddere rationem. Qui vero tabulas & ea, quæ ad Reg. III. Diacr. S. §. 238. seqq. dicta, recte intelligit, omnium & singulorum accentuum rationem sine magna difficultate reddet & explicabit, cur alter alterum sequatur, aut antecedit, cur nunc hic nunc alius adhibeatur, eodem sensu, eademque intentione S. Scriptoris (generaliter accepta) manente. Quod vero neque tabulæ, neque Diacritica sive Hercules ejus difficultatibus Cl. Viri satisfaciat, ex his quæstionibus constabit. 1) queritur: cur Atnachus sibi præmittat Tiphcham, & non potius Paschtam, hic enim in minori distinguit uti Tiphcha. Respondet Frankius ex Hercule suo: Tiphcha distinguit ante Sillukum & Atnachum, Paschta ante Sakephum. Sed hac responsione instar simiæ Frankius focum suum, Diacriticam, præ nimia ex-*